commendant. Tu uero ita natus ita institutus
es ut ciuitati patrie et supra omnes debeas
uel si mortis adire periculum opus sit et
necessitas exigat. Sed hanc ipsam necessita
tem non impendere hoc tempore uideo
ut tantum subeas ipse discrimen. Id aut dis
crimen quale quantumue sit tu qui presens es
facilius iudicare potes. Nam qui ciuibus
status sit que ualitudo qui pereant qui
conualescant audis, uides, cognoscis. Ego
aut qui longe absum id coniecturare non
possum. Hec summa est consilij ut des operam
qua patrie inseruire eiusque dignitati
atque commodis consulere possis. Quod si res
ac omnis ciuitatis status in pestilentie sus
picione denotetur hunc tam honorifice
tibi delatum magistratum abnuas et ad me
liora tempora reserues. Ita uult ciuitas, ita
res tua domestica parentes liberi uxor fra
ter quam carissimus. Ita et amici. Vale. Ex mon
torio raptim XXVI maij. Nunc equitaturus
sum Polianum quo uocatus sum deambu
landi causa

Guarinus Veron. suo Hugoni Mazolato s. p.
d. Et si nichil ad te scribere statuissem
nisi prius michi descripsisses ne alieno
ere te grauarer, tum cum hijs ad uos Leonar
do Dan. et baptista necessario meo utrisque
amicissimo cessere non patui sed uetare non
debui. Nam cum hij mei sint in primis eos
quoque tuos esse uolui ut res amicorum pro
antiquorum prouerbio communes faceret. Reliquum
est ut eos ita suscipias ac benigne trac
tes ut qui mei ad te uenerint tui ad me
reuertantur testes quam optime sint tue
in me pietatis. Id mihi et gratissimum erit et
honorificum. Vale et Stephanum modestum saluere
a me iubeas. Ex Veron. pridie idus Junij



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_492/0364